

1489 tudenem exæquarent, extremo anni die virgines inductæ sunt.

1490 Anno insequente, quod in urbe sœvire pestilentia cœperat, triumviros sananda civitate Senatus creavit: isque postea magistratus nunquam est creari desitus. Eo anno cum increbruiisset rumor, Bajasetis regis classem non multarum navium in Aegæum provehi, ut Nicolaum Sumaripam e Paro insula, quam obtinebat, expelleret, eaque potiretur: Nicolaus Capellus legatus cum triremibus quatuor Zacynthum contendit, ei præsidio, si opus esset, futurus. Sumaripa ubi adesse legatum cognovit, insigne Venetum sustulit, seque reipublicæ addixit. Neque multo post Joannes Cernoichius, cuius erat magnum in Illyrico nomen, magna auctoritas, legatos ad Senatum misit, cupere sese, ut Georgius filius suus Antonii Erici senatoris filiam in matrimonium duceret: petere, ut sibi id facere Senatus voluntate liceret. Ea de re consultus Senatus censuit, uti nuptiæ fierent. Erat eo tempore Antonius reipublicæ nomine Ferrariæ magistratus, qui Prodominus appellabatur: itaque facta potestate ad urbem venit, Georgio filiam spondet. Ea dum per legatos in Illyricum traducitur, pater moriens filio regnum tradit: ita nuptiæ inter lachrymas & gratulationem concelebratae, clariorem exitum habuerunt. Guidus Maria Rubeus paulo post Venetiis moritur magno totius civitatis dolore: funus ei publice atque magnifice factum, laudatusque a Sabellico est. Ejus stipendium, equitumque numerus. duobus ejus liberis æquis partibus distributus. Eodem anno tametsi pacata neque ullo bello implicata esset civitas, rei militaris tamen studium non neglexit. Invulnerat jam in bellis consuetudo, invento Germanorum nobis tradita, ut milites fistulis ferreis uterentur: quibus fistulis glandes plumbeas magna vi ignis impetu mitterent, atque hostem e longinquo vulnerarent. Eæ erant fistulae ad formam atque imaginem eorum tormentorum, quibus muri oppidorum dejiciuntur, nisi quod illa ex ære fusili fiunt, maximique sœpe sunt ponderis, ut carris solidis.

*Guidi-Maria Rubei
interitus.*

*Scloporum
usus ex Ger-
mania in
Italiam tra-
ductus.*